

fidio firmatis, ipse cum copiis quas habebat, Bergomum
versus se recepit; inde Ollio ad Palatiolum superato, ad
Novos Urceos confedit. Hostis, Treciano præsidio expu-
gnato, & ipse jam Pontificiis Florentinisque copiis mi-
rifice auctus, inter Novos Urceos & Quintianum Ol-
lium trajecit. Patres non ignari quantum periculi ab
hoste impenderet (nam præter pedites, centum equi-
tum turmas in castris habere dicebatur) confestim o-
mnem reliquum equitatum, quem circa Padum habe-
bant, Severinati mittunt, ut quam enixius posset, ter-
ribiles hostium sustineret conatus. Occupaverat interim
Alphonfus quicquid Brixienfium inter Mellam fluvium est
& Novos Urceos, uberrimum solum, frequenterque op-
pidis & villis habitatum; sed oppida ipsa natura & ope-
re parum munita, hostis terrifico accessu facile ad dedi-
tionem compulit. Venetus dux, quum se nullo modo
hosti parem cerneret, fatis habiturum putavit, si ad ejus
cursus inhibendos, nunc a fronte, nunc a latere se illi ex
improvviso ostenderet. Antonio itaque Scarioto Urceis ad
præsidium cum equitibus trecentis relicto, ipse averfis iti-
neribus Maclodium primo, inde ad Zenonem tria pas-
suum millia a Brixia confedit. Venerant aliquanto antea
ex urbe in castra Augustinus Barbadicus & Zacharias
Barbarus, uterque ingenio & auctoritate clarus: sed Bar-
barus, Mauroceno & Barbadico in castris cum Severinate
relictis, Brixiam ad urbem præsidio & opere muniendam
concessit. Fuit hic illius Francisci filius, qui olim urbem
ipsam adversus omnes Philippi conatus triennio fervavit;
dignus certe ob ingenii altitudinem aliasque civiles virtu-
tes, qui tanto viro genitus credatur: dignus & qui Her-
molaum filium procreavit, virum græca & latina elo-
quentia nostra ætate clarissimum. Alphonfus Dux, Mel-
la amne superato, Balneolum occupavit: quibus diebus
Mantuanus Princeps (nam ad eam diem ut socium non
hostem se gesserat) aperte factus hostis, castra cum Al-
phonso contulit; atque ita illius appendicibus auctus ho-
stium exercitus, ut centum triginta equitum haberet tur-
mas,

*Zacharias
Barbarus,
Francisci
Fil. Hermo-
lai pater.*

*Alphonfus,
copiis in-
gentibus in
unum con-
tractis, mul-
ta Brixien-
sis & Vero-
nensis agri
oppida ade-
mit.*